

§. 7. Sunt verò insuper Formæ specificæ aliæ *materiales*, aliæ *immateriales*. Ille sic dicuntur, non quod sint materiatae & quantitate præditæ, sed quia majorem cum materiâ conjunctionem habent eidemq; ita sunt immersæ, ut extra materiam nec esse, nec operari possint. Ex qua nominis explicatione de facili ipsa formarum materialium natura intelligitur. Et tales sunt omnes plantarum & brutorum formæ, quas demortuo subiecto, non amplius superstites esse, sed verè annihilari dicimus: *Hæ* sunt, quæ quidem in fieri, nullatenus tamen in esse à materiâ dependent, qualis forma anima rationalis est. Et utistæ separabiles, ita illæ inseparabiles dicuntur, quibus de infra plura.

SECTIO SECUNDA

tradens

Consecutaria Formæ,

quorum

Primum.

ita habet,

Formæ non educuntur è potentiâ materiæ, non inducuntur, non creantur, sed traducuntur.

§. 1. Quidnam sit *formas educi è potentiâ materiæ*, de eo non una omnium mens est ac sententia. *Toletus l. 1. c. 9. q. 9. p. 41.* ex singulari S. Thomæ doctrinâ patere scribit, quid sit *formas educi è potentiâ materiæ*, non enim esse aliud, quàm eadem actione consequenter fieri & habere esse, quâ fit compositum, quod educitur de potentiâ Materiæ. *Piccolomineus l. 1. de creat. c. 8. p. 870.* Forma, ait ex sententiâ Aristotelis dicitur educi ex potestate materiæ, nam agens physicum suis qualitatibus tanquam instrumentis permutando subiectum, idq; congruenter disponendo formam, quæ potestate in eâ reperiebatur ad actum deducit. *Ruvio l. 1. Physic. Tract. 2. de form. q. 2. p. 103.* scribit: Quid sit *formam educi ex potentiâ materiæ* explicant D. Thomas

mas